

Aliquid praeterea — timide dicam, sed tamen dicendum est: aliquid adtulimus etiam nos.

Necessario temperavit gratiam suam non mediocriter Plancio profuisse, quando vir consularis testimonium beneficiorum in se conlatorum perhibens <pro> candidato 5 multum potuerat promovere. Hoc vero ne esset insolens <et> superbum, praemisit adlegationem verecundae timiditatis.

Ultero mehercule se mihi etiam offerentes, ultro pollicentes rogavi. 10

Admirabiliter nec humilem se fecit in precibus et tamen plurimum adiuvisse testatus est: sic et pro reo satis causae facit et dignitatis suae ornamenta custodit dicendo non defuisse preces suas, quibus populus verecunde obsecutus sit ultro se etiam offerens gratiae 15 referendae ad eum promptissime designandum, cui vir tam bene de re p. meritis suffragaretur.

§ 25. Nec, si vir amplissimus, cui nihil est quod roganti concedi non iure possit, de aliquo, ut dicis, non impetravit. 20

Sagacissime animadvertit, quid a parte diversa posset opponi: non mirum, si nihil pro Plancio Tullius valuisse videatur, cum pro alio sibi coniunctissimo candidato vir potentissimus nihil promoverit, cum illi designando studeret. Significare autem candidatum videtur T. Ampium, 25 suffragatorem vero Cn. Pompeium. De quibus, tam se quam Pompeio, ... sic vult accipi Tullius suspicionem, ut ipse quidem pro Plancio valuerit miserabiliter et demisse petendo, Pompeius non item pro Tito Ampio utique